

Franckesche Stiftungen zu Halle

Adami Rechenbergi[i] Svmmarivm Historiae Ecclesiasticae

Rechenberg, Adam

Vitembergae, MDCCLXVII

VD18 12484725

Caput III De Seculo XIII Christiano

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274)

§. 43. Qui iudicandi facultate uel mediocri poller, ex hacenus commemoratis deprehendet, uictuosam Ecclesiae faciem; quam superbe regnante Antichristo Romano, ingruente cum maiori superstitione sterili Theologia Scholastica, ipsa induerat. Waldenses, qui ex hoc tenebrarum regno, praelucente DEI uerbo, egredi contendebant, dirissimis modis habitos, primorum inter gentiles Martyrum fata sustinere oportuit. Exemplo tamen nobis illi cum aliis confessoribus ueritatis sunt, DEVM in medio Anti-Christi regno, subinde aliquot pios excitasse ac contra portas inferorum conseruisse. Contra uero Christianos, in Oriente hacenus Saracenorum uictores, ob perditissimos mores, perfidiam, latrocinia, ebrietatem, luxuriam ac infanda etiam Cleri facinora, grauiter castigasse, permittendo Regni Hierosolymitani excidium, quod barbari Christianorum hostes pararunt. Ita iudicia DEI certo instant, quando populus non nisi nomen Christi in ore haber, uita uero ipsum abnegat.

PERIODI IV
HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT III
DE
SECVLO XIII CHRISTIANO


§. I.
Saeculum, quod sequitur, *decimum tertium*, antecedente non potest dici felicius. Nam etsi magno numero in scholis surgerent, qui cum Philosophiae




phiae Aristotelicae ac iuris canonici studio, Theologiam profiterentur; illa tamen spinosa ac saepe etiam ineptis quaestionibus involuta, non nisi ad contentiones faciebat, ad aedificationem in fide et vita Christiana nihil conferebat. Ius autem Canonicum iam novis incrementis auctum, ad Pontificis Romani regnum tyrannicum stabiliendum multum contulit momenti. Unde Imperium Romano-Germanicum Pontificum factionibus, dissidiis et Augustorum excommunicationibus misere turbatum fuit. Id quod, si breviter ante celebriores nominaverimus Scriptores et doctores in compendio enarrabimus.

§. 2. *SCRIPTORES* in *Graecos* et *Latinos* distinguimus. Quorum illi praecipui sunt: 1) *Nicetas Acominatus*, *Choniates* a patria appellatus: Qui in aula Constantinopolitana muneris dignitate primum fuit; sed capta a Latinis an. MCCIV Constantinopoli, Nicaeam in Bithynia profectus; *Annales* in Libros XXI distinctos scripsit, quos *LIPSIUS* *Polit. Lib. I, cap. IX, §. XII*, laudat. Conscripsit etiam *Thesaurum orthodoxae fidei Libris XXVII* constantem. 2) *Theodorus Lascaris*, iunior, *Ducas* etiam dictus, *Theodori*, senioris, ex *Irene* filia nepos, qui patri in imperio anno MCCLV successit, et *Tract. adversus Latinos de Processione Spiritus S.* scripsit. Vid. *LAEKE. Bibl. Nou. pag. 69.* 3) *Nicephorus Blemmida*, Presbyter et Monachus, de *Processione Spiritus S.* et alia Opuscula conscripsit, quae *LEO ALLATIVS* allegat. 4) *Georgius, Acropolita*, appellatus, *Historiam*, seu *Chronicon Constantinopolitanum*, a capta per Latinos urbe, usque ad receptam per *Michaellem Palaeologum* scripsit. Vid. *ALLAT. de Georgiis*, et eorum *Scripturae*. 5) *Johannes Beccus*, seu *Veccus*, Ecclesiae Magnae Constantinopolitanae


litanae Chartophylax, de *Vnione Ecclesiarum Veteris et Nouae Romae*, de *Processione Spiritus S.* et alia Opuscula composuit. Vid. ALLATI Græc. *Orthod.* Tom. I, a pag. 62 ad 379. (6) Gregorius Metochita, Becci symmista, de similibus argumentis cum Becco scripsit. Vid. ALLATI de *Consens.* Lib. II, cap. XV, S. IX, COMBESII *Auctuar.* Nou. Tom. II, pag. 1017. (7) Georgius Pachymeres, celebris maxime Scriptor, *Historiam rerum Constantinopolitanarum* Libris XIII constantem reliquit. *Paraphrasis* eius in *Opera S. Dionysii Areopagitæ* a Theologis quibusdam laudatur. Conf. ALLATI Tom. I *Græc. Orthod.* pag. 399. (8) Latinos Scriptores, quorum multi sunt, in *historicos* et *dogmaticos* distinguemus. Illorum præcipui, quos nunc memorabimus, sunt (1) Guilielmus de *Selintaco*, Episcopus Antisiodorensis, et tandem Parisiensis, autor *Summæ Theologicæ* an. 1500 Parisiis excusæ. (2) Franciscus Assisus, fundator Ordinis Monachorum, ab ipso Franciscani appellatorum, cuius Opera Parisiis an. 1614 edita prostant. Hic Pontificiis *Vir Apostolicus* dicitur, qui Christi spiret effigiem. (3) Antonius de Padua, gente Lusitanus, qui autor est *Sermonum de Sanctis*, *Concordantiarum moralium in S. Biblia*. (4) Guilielmus, Parisiensis Episcopus, qui multos Tractatus morales compilauit Parisiis anno 1674 editos. Hunc Gregorius IX olim *Arcam Testamenti* appellauit. (5) Raymundus de Pennaforti, Barcinonensis, a Gregorio IX *Pater pauperum*, ob liberalitatem dictus, *Summam casuum*, et Libros V *Decretalium* congeffit. (6) Alexander de Hales, gente Anglus, *Doctor irrefragabilis*, item *Doctor doctorum*, quod *Bonauenturæ* et *Thomæ Aquinatis* præceptor fuisset, ac *Summam Theologiæ* et *Quæstiones in Sententias*






tentias, item *Summam de Virtutibus* conscripsit. (7) Iohannes de S. Aegidio, Anglus, Theologus Parisiensis, ob morum doctrinam *Suauissimus Moralizator* appellatus. (8) Aegidius Romanus, Archi-Episcopus Biterricensis, Doctor fundatissimus dictus, quod in Philosophia Aristotelica et Theologia Scholastica excelleret. (9) Edmundus, cognomento *Virgo*, Archi-Episcopus Cantuariensis, edidit *Speculum Ecclesiae*, quod in Tom. XXV. Biblioth. PP. extat. (10) Robertus Grosstheat, seu Capito dictus, Episcopus Lincolnienfis, Librum de *Cessatione Legalium*, item *Testamentum XII Patriarcharum* scripsit. (11) Hugo de S. Caro, Delphinus, *Commentarios in uniuersa S. Biblia* consarcinauit. Hic primus inuentor *Concordantiarum Bibliorum* habetur. (12) Robertus de Sorbonna, Gallus, Collegii Parisiensis ab ipso denominati fundator, de *Conscientia*, de *Confessione*, et *Itinere Paradisi*, Opuscula conscripsit, quae in Tom. XXV. Biblioth. PP. leguntur. T. II. sup. iup. §. 4. (13) Reinerus Sachonus, Placentinus, Waldensium primo promachus, deinde desertor et inquisitor haereticorum generalis factus, *Summam de Cathariis et Leonistis* conscripsit. (14) Thomas Aquinas, Italus, illustri prosapia ortus anno MCCXIV. Doctor Angelicus appellatus, cuius Opera XVII. Tomis digesta RELLARMINUS de *Script. Eccles.* recenset. (15) Praeceptor huius, Albertus Magnus, gente Sueuus, et Episcopus Ratisbonensis fuit. Opera eius Philosophica et Theologica XXI. Tomis distincta prostant. (16) Bonauentura, Italus, Episcopus Albanensis, Thomae Aquinatis *αὐτοχρως*, Doctor Seraphicus appellatus, quem Trithemius his uerbis laudat: *Profundus, non uerbosus; subtilis, non curiosus; disertus, non uanus; flammantia non instantia uerba proferens.* Opera eius

VIII Tomis distincta prostant. (17) *Nicolaus Hanap-
pus*, Gallus, anno MCLXX *Biblia Pauperum* (uulgo
Bonauenturae tribuuntur,) compilauit, quae Tabin-
gae an. 1533 edita sunt. (18) *Guilielmus Peraldus*,
Archiepiscopus Lugdunensis, *Summam de uitiis et
uirtutibus* reliquit compositam. (19) *Guilielmus Du-
rantes*, Episcopus Nîmatensis, *Speculator dictus*, *Ra-
tionale uiuorum officiorum*, *Speculum et Repertorium
Iuris*, item *Commentarios in Canones Concil. Lugdun.*
scripsit. Huius celebrem Tententiam de S. Eucharistia
FORSTERVS in *Hist. Iur. Civil. Lib. III, c. 17*, recitat:
*Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus,
praesentiam credimus.* Obiit Romae an. MCCXCVI,
cuius epitaphium VGHLEVS Tom. II, Ital. *Sacr.*
exhibet. (20) *Innocentius III*, Pontifex Romanus,
*Sermones de Tempore, de Sanctis, de Consecratione Pon-
tificis, de Eleemosynis, de VII Sacramentis*, et alia reli-
quit, quae II Tomis Parisiis anno 1682 edita prostant.
(21) *Innocentius IV* et *Innocentius V*, Pontifices Ro-
mani, in *V Libros Decretalium*, et *IV Libros Senten-
tiarum* Commentarios compilarunt. (22) *Raymundus
Martini*, Catalaunus, uir Ebraice, Chaldaice et Arabi-
ce doctus, sex libris *Iudaeorum*, *Pugionem Fidei* scri-
psit, quo illos propriis armis quasi confodit. Ex hoc
Petrus Galatinus Arcana Catholicae ueritatis, quae uo-
cat, transfumit, quae D. IO. BENED. CARPZOVIVS
cum *Introduktione ad Theolog. Iud.* Lipsiae anno 1687
denuo publicauit. (23) *Jacobus de Voragine*, Archi-
Episcopus Genuensis, praeter *Historiam Lombardicam
de uitiis Sanctorum*, *Sermones Quadragesimales*, et *Ma-
riale Aureum*, h. e. de laudibus S. Mariae compilauit.
(24) *Jacobus de Vitriaco*, Gallus et Cardinalis, *Volu-
men Concionum de Tempore*, *Librum contra Sarac.*






nos, et tres de *Histor. Hierosolymitana et Occidentali* reliquit Duaci anno 1595 edita. Vid. BONGARSII de Gest. DEI per Francos Tom. II, pag. 1047. (25) Henricus, uel Amandus Suso, Sueuus nobilis, *Horologium Sapientiae, Officium Quotidianum de aeterna Sapientia*, et alia composuit, quae Coloniae an 1588 edita prostant.

§. 5. (26) Iohannes de Parisiis, Theologus Parisiensis, in IV. *Libr. Sentent. Commentarios*, et *Quodlibetica varia*, inprimis uero *Librum de Regia et Papali Potestate*, conscripsit. Vid. GOLDASTI Tom. II *Polit. Imper.* (27) Richardus de Medianilla, Anglus, Doctor Solidus appellatus, in *Libros IV. Sentent. Commentarios*, et *Quodlibetica Theologica Quaestionum LXXX* compilauit, Brixiae anno 1591 excusa. (28) Armandus de Bello niso, Bononiensis, *Postilla in Psalmos, Meditationes et Sermones uarios*, item *Explicationes Terminorum* difficilium tam in Philosophia quam Theologia conscripsit. (Malunt tamen ultimum libellum aliqui Armando Hispano, qui sequenti saeculo floruit, tribuere.)

§. 6. In *Historicorum* huius saeculi classem referendi sunt: 1) Geruasius Tilberiensis, Henrici II, Regis, nepos, autor *Chronici de Imperio Roman. Gothorum et Regnis*, a Madero Helmstadii anno 1673 editi. 2) Rodericus Ximinius, Archi-Episcopus, Toletanus, de *Rebus Hispaniae Lib. IX*, item *Hist. Ostro-Gothorum* scripsit, quae Tom. II Hispaniae illustrat. 3) Arnoldus, Abbas Lucensis, *Helmoldi Chronicon* continuauit. 4) Petrus de Monte, Normannus, *Chronicon Sigeberti Gemblacensis* ab anno MCXI ad annum MCCX continuauit, et *Lib. XII de Bello Saero* scripsit. Vid. voss. de *Hist. Lat. Lib. II, cap. 55.* 5) Conradus a Lichtenau, Abbas

Abbas Vrsbergensis, *Chronicon a Temporibus Nini usque ad annum Christi MCCXXIX* scripsit. Vid. voss. *de Hist. Lat. Lib. II, cap. 57.* 6) Petrus de Vincis, Frederici II, Imperatoris, Cancellarius, Caesaris Iura aduersus Papam Rom. defendit, et *Libr. VI Epistol.* reliquit. 7) Saxo-Grammaticus, Praepositus Roschildensis in Dania, *Libros XVI Historiarum* terso satis stylo elaborauit. Vid. voss. *Lib. II de Hist. Lat. cap. 55.* 8) Matthaeus Paris, Anglus, Monachus Albanensis, *Historiam Anglicanam*, et *Vitas aliquot Sanctorum*, scelera Pontificum Rom. et Clerici non dissimulans scripsit, quae Londini anno 1684 prouidi. 9) Vincentius Bellouacensis, *Speculum quadruplex* compilauit, *Doctrinale, Historiale, Naturale, et Morale* Basileae anno 1484, et Duaci anno 1624 editum. 10) Albertus, Stradensis Coenobii Abbas, *Chronicon ab Orbe condito ad annum MCCLVI* conscripsit: Possennius cum Alberto Pisano perperam confundit. Vid. voss. *de Hist. Lat. Lib. II, cap. 59.* 11) Martinus Polonus, Archiepiscopus Gnesensis, *Chronicon a nato Christo usque ad annum MCCLXXVII* texuit, et *Historiam de Iohanne Papissa* euulgauit. De aliis scriptoribus huius aevi, plura Flacius, Gesnerus, Bellarminus, Possennius, Vossius, Labbe, Natalis Alexander et Guil. Cauea a nobis saepius laudatus tradunt.

§. 7. DOCTRINA PUBLICA olim simplicitate ueneranda, et in symbolis Ecclesiae ueteris reperita, populoque tum in catecheticis institutionibus, tum in sermonibus ac homiliis instillata, hoc aeuo quidem non plane exoleuit; sed tamen in multis articulis, per admixtas traditiones obscurata fuit; cum S. literarum studium in scholis rareficeret, in templis fabulae de Sanctis et eorum miraculis personarent: cultus uero DEI publi-





publicus superstitionis ritibus maximam partem constaret. Nam in scholis et claustris monachorum Theologia Scholastica, in infinitas fere quaestiones partim subtiles, partim curiosas, partim frivolas discerpta regnabat, in subsidium Philosophia Aristotelica uocata: quippe cuius autoritas maior quam ipsius S. Pauli fieri coepit. Theologia enim Apostolica simplex, in artem uelut Sophisticam redacta erat. Vnde nulli aut pauci admodum fructus in Ecclesiam, quam Pontifices Romani in regnum sacrum commutauerant, redundare potuerunt. MATTHAEVS PARISIENSIS ad annum MCCII, fol. 173, memorabile exemplum eiusmodi Magistri seu Doctoris Scholastici refert, qui iactando sapientiam suam satuatus est. Albertus Magnus quidem et discipulus eius maximus Thomas Aquinas, paucique alii S. Scripturam simul exponere aggressi sunt; sed quam ieiunae eorum expositiones sint, quivis mediocriter doctus facile intelligit. Melius in Theologia sapere quidam uisi sunt, qui sterilem Scholasticorum Theologiam fastidientes, ad mysticam, eeu uocant, Theologiam dilapsi, culturam interioris hominis tradere coeperunt. Ortum enim suum hanc Theologiam inter Latinos eundem cum Scholastica habuisse IO. THOMASIVS in Schediasm. Histor. pag. 52, seqq. demonstrat. Ceterum uero si EZORIO ad annum MCCCXXXIV, Sect. XIX, fides habenda est, Thomae Aquinatis Theologia diuino miraculo confirmata fuit: uoce scilicet crucifixi imagine edita: Bene de me scripsisti Thoma: quam ergo recipies pro tanto labore mercedem?

§. 8. Waldenses (qui et Albigenes, Leonistae, uel Pauperes de Lugduno appellantur,) puriorem Christi doctrinam professi, regnum Anti-Christianum impugnant;

runt; eaque de causa haereticorum nomine passim a Papiculis traducuntur. Nam ut ex eorum confessionibus, ipsorumque Pontificiorum testimoniis constat, pleaque supersticiosa Papismi capita cum idolomania eius reiecerunt, Scripturam S. fidei Christianae normam tantum admittentes, Romanque *Babylonem* appellantes. Vnde communis Pontificiorum querela, eos blasphemasse Romanam Ecclesiam et Clerum; tum Sacramenta et sanctos; tandem approbatas consuetudines Ecclesiasticas: (scilicet Pontificias) ceterum fuisse in moribus compositos et modestos, castos, parcos, qui odissent superbiam, mendacia, iuramenta et fraudes. Vid. *THYANUM* de Origine Waldensum Lib. V. *Histor.* et ipsum *BOZOVIVM*, adulatorem Pontificis Rom. impudentissimum ad annum MCCLXX.

§. 9. Interea portentosum Transsubstantiationis dogma in Concilio Lateranensi IV, autore Innocentio III, Papa, anno Chr. MCCXV habito cap. I, publice assertum fuit: Corpus et Sanguinem Christi in Sacramento Altaris, sub speciebus panis et vini ueraciter contineri, transsubstantiatis panis in corpus, et uino in sanguinem Christi, potestate diuina. Vnde decreta supersticiosa facta pro asseruanda et adoranda hostia consecrata. Quam superstitionem mox excepit festum Corporis Christi ab Urbano IV, Papa, institutum, quod Clemens V, anno MCCCXI, in Concilio Viennensi confirmavit. Thomas autem Aquinas eius officium composuit. Occasionem illi dedisse reuelationes Iulianae, uirgini Leodiensi factas et sanguinis ex hostia effusionem, *BOZOVIVS* in uita Urbani, et alii narrant. Ex eodem Transsubstantiationis dogmate error de communione sub una enatus. Qui licet nondum lege publica sancitus esset, ab hoc tempore tamen in Ecclesia Rom. obtinuit; donec in Concilio





Concilio Constantiensi publice firmaretur. Conf. *Hist. Transubstantiat. Papalis* IOANNIS, Episc. Dunelmensis, cap. IV.

§. 10. In annum huius aevi MCCCLVI, MATTHAEVS PARISIENSIS *Histor. Angl. Mat. f. 806.* Novum seu aeternum Evangelium refert: cuius autorem Iohannem de Parma, Ordinis Minorum generalem, fecerunt. Alii, ut supra cap. II, §. XXII, commemoravimus, Cyrillo, Carinellitae Monacho, alii Ioachimo, Abbati, tribuerunt. Scopum huius Evangelii fuisse commendare novos Praedicatores Monachos seu Nudipedales, quibus illud commissum fuerat, eorum longe perfectius Evangelio Christi, quod homines de spiritualibus et aeternis, maiori cum autoritate, quam factum esset ab Apostolis, instrueret. Vid. NAT. ALEXAND. *Secl. XIII et XIV, Part. I, cap. III, art. III.* Quod Papa secreto, si fieri posset, sine Fratrum scandalo comburi iussit, teste PARISIO *l. c. fol. 807.* Conf. HEIDEGGERI *Histor. Papatus Period. IV, §. CX.*


§. 11. Graeca Ecclesia licet multis erroribus inquinata iam esset, a Romana tamen in articulo de S. Eucharistia dissensit: quando nec Transubstantiationis dogma, nec hostiae f. adorationem, nec circumgestionem, nec communionem sub una, nec usum azymorum admisit. Purgatorium etiam et coelibatum Clericorum improbavit. Innocentius III, Papa, quidem scriptis ad Orientalem Ecclesiam epistolis sat imperiosis, eam in societatem unionis et ad obsequium perducere laboravit. Enim vero frustra fuisse ipsius et successorum suorum molimina, Graeci scriptores ab ipso EPHONE ALLATIO, in facto suo *Consensu* adducti testantur. Conf. EDOVIVM ad an. MCCLXXV, *Secl. 3.* *Recessit Ecclesia* (inquit, MATTH. PARISIENSIS in *Histor.*

Mai.

Mai. fol. 386.) *Graeca a subiectione Rom. Ecclesiae propter eiusdem varias enormitates, maxime in usuris, Simonii et aliis iniuriis intolerabilibus.*

§. 12. Quod *HAERES* huius aevi attinet, ipse *Papismus*, seu *Papae Rom. Anti-Christianismus* gravissima haeresis fuit, quem *Waldenses* iure meritoque impugnaverunt. Qui propterea a Rom. Ecclesiae parasitis primo loco inter haereticos collocantur. Nam *Apostasiam* magnam per Anti-Christum iam factam esse, demonstrarunt, multisque martyriis comprobarunt. Non tamen negari potest, fuisse et inter *Waldenses* et *Albigenses*, homines absurdos et improbos, qui errores *Gnosticorum* foverunt, quorum culpam ipsos *Waldenses* luere oportuit. Quanda enim repurgatio Ecclesiae corruptae a probis suscepta fuit, semper improbi illis mixti bonum facinus suspectum vel exosum reddidere.


§. 13. Pontificii Scriptores inter *Haereticos* sub initium huius seculi ponunt *ALMARICUM*, Clericum Parisiensem et dialecticum peritum; quod constanter asserasset, quemlibet Christianorum teneri credere, se esse membrum Christi, nec aliquem posse saluari, qui hoc non crederet; non minus quam si non crederet Christum esse natum et passum, vel alios fidei articulos. Vid. *BOVIVM* ad annum *MCCXVI*. Negavit etiam Transubstantiationis dogma, eodem *BOVIO* teste, ad annum *MCCXVI*, Sect. II. At hanc ob causam, ipsi dicam haeresis scribi non debere, omnes sanioris doctrinae homines norunt. Si tamen verum est, quod de eius discipulis traditur, eos docuisse, (1) potestatem Patris durasse, quamdiu uiguerit lex Mosaica: (2) Christum novam legem condidisse, quae ad sua tempora pertinuisset, postea cum Sacramentis suis fuisse antiquatam: (3) Regnum Spiritus S. coepisse, quo Sacramentis



mentis non opus amplius esset, sed sola gratia interiori Spiritus S. absque ullis operibus externis, quumque inque saluari posse; *Almarici*, inquam, discipuli haereticorum numero accensendi forent. Vid. NAT. ALEX. Sec. XIII. et XIV. cap. 111, artic. 11. Quia uero hi Aristotelis Metaphysica dicebantur abusi, in Synodo Parisiensi libri isti Metaphysici, referente Roberto Antistodorense, Monacho, in Chronico, flammis traditi fuerunt. §. 14. In Saxonia inferiori, *Stedingorum*, (a *Steda* uel *Stada*, urbe sic denominatorum) secta exorta, quae Daemone magistro usa, horrenda dogmata sparsit. Nam blasphemabant, coelorum Dominum iniuste Luciferum ad inferos detrulisse; hunc uero gloriam suam recuperaturum esse; non agenda esse, quae DEO placeant, sed quae nolit; corpus Domini singulis annis, et quidem Paschali tempore de manu sacerdotis recipiebant quidem, sed in ore referuantes postea in latrinam expuebant: nocturno tempore extinctis lucernis promiscuam libidinem exercebant. Hanc sectam nefandam, *Heuricus*, Brabantiae Dux, et *Florentinus*, Hollandiae Comes, iussu Papae Gregorii IX, sex millibus eorum caesis, deleuerunt. Vid. ALBERTI STADENSIS Chron. ad ann. MCCXXXIV, et CRANZII Metropol. Lib. VII, cap. 7 et 47.

§. 15. In Italia anno circiter MCCLX, *Flagellantium* secta innotuit. Qui nudis ad umbilicum usque corporibus, cateruatim per agros et urbes, praecurribus sacerdotibus cruces et uexilla gestantibus, flagellis sese lacerarunt, et simul profusis lacrymis diuinam misericordiam sollicitarunt, carnisficinam hanc per XXXIII dies, in honorem annorum Christi in hac uita perumnosa exactorum, singulis diebus bis exercuerunt, tradentes simul, neminem ea peccatis absolui posse, nisi se-
etae

et suae nomen daret. Contra illos **ION GERSON**.
Tom. I. Opp. tractatum scriptum Vid. **NATAL. ALEX.**
Sec. cit. cap. III, artic. V, pag. 334. Alioq. tractat. sup.
 §. 16. His *Circumcelliones*, qui **Fridrico II** impe-
 rante in Suecia fuerunt, adiunguntur. Pontificem Rom.
 illi haeticum, Episcopos et Praelatos Simoniacos ap-
 pellarunt, multosque in Ecclesia Rom. abusus et erro-
 res notarunt. Videtur, fuisse illos Albigensum pro-
 paginem; ac adeo perperam haeticorum nomine dif-
 famari. Vid. **ALBERTO STADENS. Chronic. ad ann.**
MCCXLIII. *omnesq. abaction. Alioq. tractat. sup.*
 §. 17. Non dissimiles his fuisse puto *Fratricellos*,
 qui circa exitum huius seculi, autoribus **Petro de Ma-**
cerata, et **Petro de Forosempronio**, ordinis Minorum
 apostatis, exorti memorantur. Hi Rom. Ecclesiam
 carnalem, diuitiis pressam, delitiis affluentem, secleri-
 bus maculatam cum Romano Praefule reiicientes, aliam
 scilicet spiritualem, frugalitate mundam, uirtute deco-
 ram, paupertate succinctam, (qualem suam esse, dixe-
 re) requirebant. Vid. **ALVARVM PELAGIVM Lib. II**
de Placitu Ecclesiae cap. II. Quos **Bonifacius VIII** da-
 mnauit ceu haeticos. Illi uero in Siciliam fugien-
 tes ibidem post epulas, laeti in contemptum Ecclesiae
 Rom. cantarunt: *Exultet Ecclesia meretrix, exultet!*
 Vid. **NAT. ALEX. Sec. cit. cap. III, art. X.**
 §. 18. **Arnaldus de Villa Nova**, Hispanus, in Arra-
 gonia fertur haec noua dogmata sparsisse: (1) natu-
 ram humanam a Filio DEI assumptam, DEO aequa-
 lem in omnibus fuisse: (2) animam Christi diuinitati
 coniunctam omnia sciuisse, quae scit Deitas; quia unam
 cum illa personam constituisset, scire esse dotem per-
 sonae, non naturae: (3) Diabolum uniuersum popu-
 lum Christianum a ueritate religionis abduxisse, et Apo-
 stasiam



Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side. The text appears to be organized into several paragraphs.


stasiam a planta pedis usque ad uerticem in toto Christi corpore regnare; hinc omnes Christianos in infernum detrudi. Multas is etiam superstitiones Ecclesiae Romanae improbavit. Vnde incertum, quid de eius haeresi sentiendum sit. Vid. NAT. ALEX. *Histor. Eccl. Sec. XIII et XIV, Part. I, p. 385, seq.*


§. 19. *Beguardos*, et *Beguinus* cum *Fratricellis* communia sapuisse, ex ALVARI PELAGII de *Planctu Eccles. Lib. II, cap. 51*, constat. Vnde uero illorum nomen sit, incertum est. CAROLVS DV FRESNE in *Glossar. Tom. I, fol. 517*, docet, *Beguardorum* fuisse uirorum, *Beguiinarum* autem foeminarum nomen. Id certum est, ex *Franciscanorum* Ordine eos prodiisse, et a *Clemente V*, Papa, in *Concilio Viennensi* damnatos fuisse. Tribuuntur illis hi praecipue errores, 1) quod homo in hac uita talem perfectionis gradum consequi possit, ut reddatur penitus impeccabilis: 2) quod ieiunare non oporteat hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis dictae assecutus esset; quia tunc sensualitas ita perfecte spiritui et rationi foret subiecta, ut homo posset libere corpori concedere, quicquid placeat: 3) quod homo in hoc perfectionis gradu constitutus, non sit humanae obedientiae aut praeceptis Ecclesiae subiectus: Quia, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. 4) Quod homo in hac uita possit finalem beatitudinem, ut in altera beata uita, obtinere. Vid. NAT. ALEX. *Sec. cit. cap. III, art. II, pag. 381, seqq.* et DV FRESNE *Glossar. l. c. NATAL. Sec. cit. pag. 361*, asserit, eos *Petrum Ioh. Oliui* Ordinis FF. Minorit. professorem, ceu Patriarcham, secutos esse.

§. 20. *Guilielmi de S. Amore* Liber de *Periculis nouissimorum Temporum*, quo Praedicatorum et Minorum ordines perstringit, etiam turbas excitauit; quia
Mona

Monachos mendicantes reprehenderet, tum quod laborare nolint, tum quod hypocritae sint, quaerentes perfectionem in mendicando: item quod non uocati, omittere praedicationem debeant. Taxabat etiam Romanam Ecclesiam, quod tot mendicantium ordines toleraret. Ideo *Alexander IV*, Papa, librum *Guilhelmi* damnauit. Vid. NAT. ALEX. l. c. art. VII, pag. 334, seq. et D. KORTHOLDI *Hist. Eccl. Sec. XIII*, pag. 573, seq.

§. 21. DISCIPLINAM Cleri corruptissimam fuisse, omnes fere huius aevi historiae scriptores testantur; cum accusant in electionibus Episcoporum Simoniam, fraudes; in disciplina carnificinam et excommunicationes ipsorum Imperatorum iniustas; cleri auaritiam; malas artes in colligendis uel rapiendis opibus; luxum in uita; ambitionem in affectandis dignitatibus; nundinationes indulgentiarum, concubinatum, scortationes et adulteria ob coelibatus legem. *Prostibula publica*, inquit *DVRANDVS*, *Mimaten* Episcopus, (in *Tr. de Modo celebrandi Concilii General.*) palam habita prope Ecclesias, prope palatium Domini Papae, et prope domos Praelatorum. *Graphice MATTHE. PARISIENSIS* corruptum Ecclesiae statum in *Historia Maiori* huius, multis in locis delineat. *HVGONIS* etiam, scriptoris huius seculi, glossa non ignota est: Diabolum olim duas habuisse filias, auaritiam et luxuriam: auaritiam elocasse Iudaeis, luxuriam ethnicis. Ceterum iam Clericos utrisque illorum suas sponfas eripuisse, soloique uelle sibi proprias utramque habere. Et super *Ps. LXXXII* scribit: Multi Clerici sunt progenies uiperarum. Foetus enim interficit matrem, quando nascitur.





§. 22. *CONCILIA et SYNODI* quidem multae per Italiam, Galliam, Germaniam et Britanniam habitae, quae *Tom. XI, Part. I.* memorantur; sed in illis parum aut nihil de doctrina Christi, et disciplina Ecclesiae sanctiori reducenda actum. De Albigenſibus uero extirpandis, de expeditionibus cruciatis, de dominio et imperio Papae, de excommunicandis Principibus ipsi inobedientibus, de Monachorum nouis ordinibus stabiliendis, et de idolomaniis firmandis, decreta leguntur facta. Inter illa tria a Romanensibus *Oecumenica* numerantur uelut praecipua, *Lateranense IV*, *Lugdunense I*, et *Lugdunense II*.


§. 23. *Lateranense IV* Romae in Laterano *Innocentius III*, Papa, an. MCCXV conuocauit, ut Hierosolyma a Saracenorum iugo iterum liberaretur. Si uero quis acta et eorum euentum attendit, alias subfuisse causas patet. Quarum praecipuae, Pontificis opes et tyrannidem stabilire ac Waldenses extirpare: deinde portentosum *Transsubstantiationis* dogma et confessionem auricularem publica uelut lege sancire. Conuenerant CCCCXII Episcopi praeter Patriarchas Graecos, inter quos duo, Constantinopolitanus et Hierosolymitanus praecipui. Primates uero et Metropolitani LXXVII, Abbates et Priores ultra octingentos: Procuratores quoque Archi-Episcoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum et Capitulorum absentium tantus non fuit numerus. Legatorum uero Imperatoris Constantinopolitani, Regis Siciliae, in Rom. Imperatorem electi, Regis Franciae, Regis Angliae, Hungariae, Hierosolymitani, Cypri, Arragonum, nec non aliorum principum et magnarum ciuitatum ingens adfuit multitudo. His omnibus congregatis, praesidente Papa LX capitula fuerunt recitata, quae, ut *Matthaeus Recenb. H. E.*

Q

Parisus

Parisus loquitur, aliis placabilia, aliis uidebantur onerosa. Vid. MATTH. PARISI Hist. Angl. Maior. ad annum MCCXV, f. m. 228, seqq. Decreta huius Concilii maximam partem quinque Libris Decretalium Iuris Canonici inserta a Pontifice sine praeuia Concilii deliberatione profecta esse, Matthaeus Parisus haud obscure testatur. Integra illa extant Tom. I, Opp. Innocentii III. PLATINA in huius uita scribit: Venere multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam aperte potuit. Capite tamen XXI decretum: Ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata confiteatur, idque faciat solus et fideliter, idque saltem semel in anno, et proprio sacerdoti, ac postea iniunctam sibi poenitentiam studeat pro uiribus adimplere.

§. 24. Lugdunense I, quod uulgo Oecumenicum XIII appellatur, Innocentius IV, Papa, anno MCCXLV, reclamante licet Imperatore, Friderico II, indixit: ut Imperatorem tyrannidi suae obnitentem, Imperii dignitate priuaret. Quanquam Papa religionem et Ecclesiae curam in Epistola conuocatoria apud MATTH. PARISIUM, fol. 376, praetenderet. Confluxerant Archi-Episcopi et Episcopi praeter Cardinales CXL, et duo Patriarchae, Constantinopolitanus et Antiochenus ex Graecis, Imperator quoque Constantinopolitanus, et aliorum Principum legati. In hoc Papa Imperatorem diris deuouit: Expeditiones cruciatas in Palaestina, et alia Capitulis XVII decreuit. Vid. MATTH. PARISI Hist. Maior. Angl. ad annum MCCXLV, fol. 376, seqq. De constitutione circa festa per annum celebranda ibidem facta D. CHEMNITIVS Exam. Concil. Trident. fol. 815, agit.



§. 25. *Lugdunense II Gregorius X*, Papa, anno MCCLXXIV ideo celebrauit, ut postulante *Michaële Palaeologo*, inuasore Imperii Constantinopolitani, concordiam inter Graecam et Romanam Ecclesiam reduceret. Episcopos circiter quingentos conuenisse, et praesentibus *Iacobo*, Arragonum Rege, legatisque *Michaëlis*, Imperatoris, cum Graecis *Georgio Acropolita*, *Theophane*, et aliis de unione dicta deliberasse, tandemque cum minis, tum blanditiis, a *Michaële* et Graeculis obtinuisse, ut hi Romanae Ecclesiae obedientiam iurarent, ac dogma de processione Spiritus S. ex *Patre Filioque*, tantopere haecenus controuersum mitterent. Sed Graeci illam transactionem, se inconsultis, et inuitis factam, repudiarunt. Vnde noui in Ecclesia Graeca morus. De quibus uide PACHYMEREM *Lib. VI*, et NICEPHORVM GREGORAM *Lib. V*, f. m. iii, ubi *Mich. Palaeologum* hac de causa excusat atque laudat. ALLATIUS uero frustra est, qui perpetuum inde utriusque Ecclesiae consensum *Lib. II*, cap. 15, euincere laborat. Conf. D. KÖRTHOLDI *Hist. Eccl. Sec. XIII*, p. 540, seqq. et NAT. ALEXAND. *Hist. Eccl. Sec. XIV*, Part. III, Dissert. VII. De iure Regaliae, quae hic acta, idem Part. III, Dissert. VIII, art. V, disputat.


§. 26. REGIMEN ECCLESIAE, quod in tyrannidem absolutissimam degenerauerat, penes solum pontificem Rom. stetit, supra iam multis argumentis confirmatum fuit. Itaque ut illo Pontifices hoc aeuo perfuncti sint, paucis memorabimus. *Honorius IV*, (aliis III,) ius Pontificum nouis additis canonibus seu decretis auxit, idque obseruare et in scholis docere iussit. Vid. *Lib. V*, Decretal. Tit. XXXIII, de Priuil. et Excess. cap. super specula, ne Cleric. uel


Q 2

Monach.

*Monach. Gregorius IX, Fridericum II, Imper. excommunicauit, et extinctis candelis ipsum Iuda et Nerone peiorem declarauit. Vid. MATTH. PARIS. ad an. MCCXXXIX, CRANZ. METROP. Lib. VII, cap. 52, fol. 291. seqq. et ALBERT. STADENS. p. m. 37. Innocentius IV, tyrannidis Pontificiae assertor acerrimus, Fridericum II, Imper. iam diris deuotum, etiam Imperio exuere molitus est, cuius sententia in eum lata extat cap. ad Apostol. de Sentent. et re iudic. in VI, Decret. Lib. XI. Atheismus quidem huic Friderico impingitur; sed P. de Vineis Lib. I, Epist. XXXII, ab hoc scelere eum purgat. Henricum, Reg. Angliae suum uasallum dixit, apud MATTHAEVM PARISIVM ad an. MCCLIII, Regi Galliae Ludouico titulum Christianissimi confirmauit, quod expeditionis sacrae caput constitutus esset. Successor illius Alexander IV Manfredum, Siciliae Regem, tanquam Ecclesiae spoliato-rem excommunicat, et Boleslaum Reg. Poloniae, eodem fulmine percussum turbis inuoluit regni. Vid. PLATIN. in eius uit. et CROMERVVM Lib. IX, pag. 235. Clemens IV, ex milite Pontifex, Carolum Andegauensem aduersus Manfredum Friderici II, Imp. filium naturalem, excitauit: et hoc interfecto Conradinum, cui regnum debebatur, excommunicauit, ac in praelio cap-
 tum capite plecti suauit. Vid. COLLENTII Hist. Neapolit. Lib. IV, et AVENTIN. fol. 549. Contro-
 uersiam de imperio Germanico tempore Interregni ad se pertinere contendit. Gregorius X cum sedes Ro-
 mana ultra duos annos uacasset, electus pontifex, in Concilio Lugdunensi, bellum sacrum contra Saracenos imperauit. plenariam remissionem peccatorum omni-
 bus crucem assumentibus in hoc bello promittens. Vid. BLONDVM Lib. II Decad. VIII, Conf. FR.*

CAR-





CARRIERE Digest. Chronol. Pap. pag. 66. Autor is etiam Conclauis, quo Pontifices eligi debeant, habetur. Bonifacius VIII, qui intrauit ut vulpes, uixit (regnauit) ut leo, mortuus est ut canis, uel iuxta uersificatorem ueterum:

*Vulpes intrauit, tanquam leo pontificauit,
Exiit ut canis de diuite factus inanis.*

Vid. LANGII Chronie. Citiz. ad an. MCCXCIV, et MATTH. WESTMONAST. pag. 447. Propter auri facram famem, Iubilaeum ceu festum seculare celebrandum instituit. Vid. AVENTIN. Lib. VII. Volaterran. Lib. XXII. Vno die in habitu Pontificali, altero imperatorio se conspiciendum praebuit, dicendo: Ecce duo gladii hic sunt. Vid. CRANZII Saxon. Lib. VI, cap. 36. In Extrauag. comm. Lib. I de Maior. et Obed. cap. 1, se dominum mundi iactauit. Conf. NAT. ALEX. Secul. XIII et XIV, part. 1, pag. 142, seqq. Fastum stolidum homini exprobrauit Philippus, Galliae Rex, epistola ad eum data: Philippus, DEI gratia, Francorum Rex Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice, salutem modicam siue nullam: Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse, Ecclesiarum et praebendarum collationem ad nos iure regni pertinere, secus autem credentes fatuos et dementes reputamus. Vid. STERON. Annal. pag. 404, et BOETIVM ERONEM de Iure Princip. in Benefic. Eccles. Lib. I, cap. 1. Plura ex Scriptoribus uitarum Pontificum Rom. hic annotare non uacat; cum haec speciminis loco de tyrannide Pontificum sufficere queant. Conf. HEIDEGGERI Hist. Papatus. Period. IV, §. CI, seqq.


§. 27. De iis, quae ad Ecclesiae Curam aut Statum uel Ceremonias propius spectare uidentur, pauca ex

iisdem.

Q 3

iisdem autoribus adhuc adducemus. Sub Pontificatu Innocentii III, Papae, Dominicus Calagurensis Hispanus, et Franciscus Assisius Italus, auctores novorum ordinum monasticorum fuere: Ab illo Praedicatorum, die Prediger-Mönche, ab hoc Minoritae die Barfüßer-Mönche, ortum trahunt, vid. POLYDOR. Virgil. de Inuent. Lib. VII, cap. 4, VSSER. de Eccles. Succes. cap. 9, num. 9, seqq. Honorius IV, Papa, horum ordines confirmavit. Vid. PLATIN. in eius vita. Inter hos aemulatio sanctitatis affectatae fuit: Dominicanorum ordo praevaluit auctoritate. Nam Dominico non tantum munus praedicandi adversus Waldenses, sed et inquisitionis, quod sanctum vocant, officium commissum fuit, quo, ex eo tempore, in Hispania et Italia perfungi soliti sunt. Franciscus autem sanctitatis laudem obtinuit, quod Christi crucifixi stigmata ipsi per miraculum impressa, fabulantur: Vnde per blasphemiam Christus Typicus appellatus est. Dominicus autor Rosarii, sive Psalterii B. Virginis habetur, quo salutatio Angelica CL vicibus ad imitationem Psalmorum Davidis repetitur. De cuius uirtute mira narrant monachi. Gregorius IX, hos novae superstitionis patriarchas inter Diuos reulit, teste ALBERTO STADENSI in Chron. et CRANZIO in Sax. Lib. IV, et METROPOL. Lib. VII, cap. 45. HOTTING. Histor. Eccles. cap. XIII, pag. 462. Antonius de Padua, Vlyssiponen-sis, frater ordinis Minorum, qui Patavii Theologiam professus est, a miraculis celebratur patris, quae FRANC. MENDOZA Virid. Lib. VI, Orat. XI et XII, narrat. Alexander IV, Papa, excommunicationis fulmine terret, qui Dominici et Francisci ordines, libellis famosis impeterent. De miraculis Francisci et Dominici, vid. HOTTINGERI Odyon, Part. II, pag. 266.

l. VIII. 2. testatur, quod concilium isit papa Clementis. 28. Viadobono habitum abrogare voluit, ne papa se haredes faceret a rebus episcoporum relicto. 22 de sequi ter, hunc absum jamjam obtinuisse ad finem sec. XIII.




Leg. W. spricht dem gütlichen zu Lampfelle, er solle dem König Ferdinand
sachalten, dem Juden wese gütlich zu thun; in zu oben dinsten Zeit den,
habe er, das man in frankreich, wo sie verfolgt wurden, gelinde mit
ihnen verfahren solle. Der König leuete solches bey. Ragnaldo ad a. 1283.


§. 28. *Librum conformitatum*, in quo conformitates uitae *S. Francisci*, ad uitam IESV CHRISTI Domini nostri blasphemae conferuntur, *Gregorius IX*, sub poena haereseos adprobandum declarat. Prodiit ille Bononiae anno 1589. *Innocentius IV* statuit, *honestandi ordinis gratia*, ut cardinales, *rubro galero et equo phalerato* uterentur. Vid. VOLATERAN. *Lib. XXII*, POLYDOR. VIRGIL. *de Inuent. Lib. IV, cap. 9*, et RZOVIVM *ad annum MCCXCVII, num. 9*. Sed *Coelestinus V* postea constituit, ne deinceps Papa uel Cardinales ueherentur equis et mulis; sed tantum asinis, dicens: *IESVS CHRISTVS, filius DEI, humilis asini dorso uectus est, cuius nos imitatores esse debemus*, teste LANGIO in *Chron. Citiz. p. 817*. Festum etiam natiuitatis *S. Mariae* quorannis celebrandum instituisse fertur apud *Platinam*. Quamquam *Baronius* in *Martyrologio Rom. d. 8. Sept.* quo tempore institutum sit, se nondum reperisse fatetur. *Urbanus IV* sua su *Thomae Aquinatis* Festum corporis Christi instituit, quod *Clemens V* ex quorundam sanctulorum reuelatione an. *MCCCXI* in Concilio *Viennensi* confirmauit. Vid. ONVPER. PANVINIUM *ad Platin. pag. 293*. Purgatorium et Transsubstantiationis dogma, fictis uisionibus et apparitionibus animarum separatarum, comprobare non erubuerunt. Vid. HOTTIN. *Hist. Sacr. cap. XIII, pag. 447, seqq.* Effigies uultus Domini, quae *Veronica* dicitur, eiusque sudarium superstitionem Romanam auxit, apud HOTTINGERVM *l.c. pag. 456*. Confessio auricularis etiam ficto miraculo apud HOTTINGERVM *Hist. Sacr. cap. XIII, pag. 465*, comprobata legitur. Ibidem aquae lustralis uirtus contra diabolum lepida fabella adstruitur. De reliquiarum inuentione RZOVIVS narrat *ad annum Christi MCCXIX*.

Sect. 29, ad an. MCCXX, Sect. 21, nec non ad annum MCCLVII, Sect. 18, item ad annum MCCLXIII, Sect. 17, MCCLXIX, Sect. 10, et an. MCCLXXIX, Sect. 16, HOTTING. l. c. pap. 479.

§. 29. PERSECUTIONES hoc aeuo *Waldenses* seu *Albigenses* imprimis, dirissimas sustinere, quae utramque fere paginam in huius seculi historiae parte faciunt. Vid. KORTHOLDI *Hist. Eccles. Secul. XIII, pag. 501*, ideo HUGO in *Postill. super cap. II Iohannis*, BERNHARDI conquerentis uerba, ad haec tempora aptat: *Videtur, bone Iesu, contra te conuisse uniuersitas Christianorum, et illi in persecutione tua primi sunt, qui in Ecclesia tua uidentur primatum tenere et gerere principatum.* Iplis *Latinis* in expeditionibus cruciatis in Orientem susceptis, NICETAS CHONIATES *pag. 270, seqq.* exprobrat uaria crudelitatis genera, quibus in *Byzantinos* Christianos grassati sunt; cum interim *Saraceni* et *Turcae* in Oriente Christianos affligerent, multisque in locis extirparent Ecclesiam. *Mamaluichi* etiam *Aegyptum* inuadentes, circa medium huius seculi Christianos uel ad apostasiam compulerunt, uel misere trucidarunt. *Tartari* ex *Scythia* prodeuntes, armis prolatis in Europam, Christianorum calamitatem auxere. Vid. CRANZ. METROPOI. *Lib. II, cap. 9*, et CROMERYM *Lib. II, et IX*. In Germania Pontifices Rom. interregni magni praesertim tempore, omnia turbarunt. Vid. LEHMANNI *Chron. Spirens. Lib. V, cap. 95*.

§. 30. MEMORABILIA, si fabulas de miraculis a BZOVIO in *Annalibus* huius aeni consarcinatas referre, pretium operae foret, tot ac tanta essent, ut compendio comprehendere nequeant. Nos instituti nostri memores, uel tribus uerbis tantum potiora designabimus:





gnabimus : (1) Francorum Imperii finis in Oriente, post expugnatam anno MCCIV, a *Balduino*, Comite Flandrorum, Constantinopolin: id enim *Michaël Palaeologus Comnenus* an. MCCLXI recuperavit. (2) Expeditiones cruciatae, classicum canentibus Romanis Papis, in Orientem crebro nullo Christianitatis fructu susceptae : Similes expeditiones etiam Waldenses et Albigenfes affligerunt. (3) Officium Inquisitionis contra Albigenfes ab *Innocentio III* institutum et a successoribus eius confirmatum. In quo sola delatio uel accusatio haereticum fecit, qui nulla concessa defensione, ad supplicium inprimis uiuicomburium rapiebatur. Vid. *Directorium inquisitionis* a FRANCISC. PEGNA editum et BZOV. ad an. MCCXXXV. (4) Vesperae Siculae, quibus Galli tota Sicilia an. MCCLXXXII, secunda Paschatis feria, signo campanae circa uesperam dato, horrenda internecione deleri sunt. (5) Iudaeorum tota Gallia eiecilio, edicto *Ludouici IX*, et *Philippi Pulchri* facta. (6) Fabula de Iudaeo, inde a tempore passionis Christi uagabundo, et expectante Christi aduentum ad iudicium, cui nomen *Ioseph*. apud MATTHAEVM PARISIVM ad annum MCCXXIIX, f. m. 296. (7) Iubilaeum a *Bonifacio VIII* primum anno MCCC publicatum, quo plenaria indulgentia omnium peccatorum uisitantis limina SS. Apostolorum *Petri* et *Pauli*, centesimo quoque anno promittitur. (8) Conuersio Prussorum gentilium, et eorum per Crucigeros equites defensio. Vid. CRANZ. *Wandaliam Lib. VII, cap. 21*. (9) Translatio aediculae B. Virginis, in qua Filium DEI concepit, per Angelos ex urbe Nazareth primum an. MCCXCI in Dalmatiam, et inde an. MCCXCIV in Picenum, prouinciam Italicam, ac tandem ex colle, in publicam agri uiam collatae. Fabulam hanc

Q 5

BER-

BERNEGGERVS in *Tr. de Idolo Lauretano* examinat. (10) Philosophia Aristotelica hoc seculo in scholis regnare coepit. Vid. LAVNOII *de nar. Aristot. Fortuna c. IV, seqq.* (11) Aerae Alphonsinae in Hispania an. MCCLII, cuius autor *Alphonsus X*, initium. (12) *Osmanicae* apud Turcas familiae regnatricis primordia, in annum circiter MCCLXXII incidentia: quo tempore etiam *Rudolphus Habsburgicus* Imperator domum Austriacam regnatricem fundare coepit. (13) Epistola coelo an. MCC delapsa Hierosolymis, qua sanctificatio diei Dominicae praecepta, apud MATTH. PARISIVM *Hist. Angl. f. m. 168*. Sed Raynaldus ad annum MCCI, num. 34, fabulam esse probat.

§. 31. In huius aevi historia foedam ac corruptissimam Ecclesiae faciem velut summam observare licet; quando nihil fere ex antiquae Ecclesiae Apostolicae simplicitate ac puritate reliquum esset, praeter symbola fidei Christianae, et Sacramenta superstitionis ritibus contaminata. Doctrina enim in scholis, philosophicis trictis et quaestionibus inoluta fuit; cultus DEI publicus foeda superstitione et Idolomania inquinatus; disciplina per mores Cleri corruptissimos neglecta iacuit; dominatus vero tyrannicus Pontificum Romanorum omnia turbavit, atque dum Imperatores, Reges ac Principes Christianos ad bella sacra incitarunt, praecipua interea eorum cura fuit, potentiam tyrannicam iis absentibus extendere. Paucis: *Regnum tenebrarum fuit*; in quo pars maior hominum Anti-Christo magis, quam Christo servire coacta est. Miseri Waldenses, qui christianam simplicitatem reducere, iugumque Babelicam excutere laborabant, paria cum Martyribus olim sub Gentilismo, fata experi-

